

antonomasiam, ideoque in superlativo superbus et dolosus, ut potentior factus te sibi subiciat, ac hæreticum efficiat, et in gehennam præcipitet. Hinc *duplicitia* mala at ipso recipies, quia, inquit Rabanus, dupliti est corde ac duplici lingua. Rursum *duplicitia*, inquit Lyranus, præterita nimirum quæ fecit, et quæ facturus est, sus-

tentatus bonis tuis. Et, ut Hugo, *duplicitia*, quia ipsum foves in errore suo, et ipse abutitur dono tuo, et utrumque danti ascribitur. Quare hoc perinde est ac si aspidi panem tribuas; nam ipsum alis, qui potentior factus te invadet et perdet, juxta illud Job. xx, 14: « Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. »

## SECUNDA PARS CAPITIS,

### NON ESSE FIDENDUM INIMICO, ESTO SE SIMULET AMICUM.

8. NON AGNOSCETUR IN BONIS AMICUS, ET NON ABS-  
CONDETUR IN MALIS INIMICUS. — Pro agnosceatur, Græci multi legunt ἐκείνην ἀγνοῦνται, id est, ejicietur, id est, in apertum proferetur et declarabitur, ait Jansenius: sed hæc explicatio alienior videtur et durior, æque ac illa Vatabli: *Amicus rebus secundis non moleste se ingerit, nec se jactat.* Melius alii vertunt, non ejiciet se, id est, non recedet a te, sed bonis tuis gaudebit, tecumque epulabitur. Verum corrige cum Græcis Romanis, ἐκείνην ἀγνοῦνται, id est, judicabitur, arguetur, deprehendetur. Alii legunt, ἐκείνην ἀγνοῦνται, id est, agnosceatur. Unde Tigurina vertit, *amicus rebus secundis judicari non potest, nec rebus adversis latebit inimicus*; Syrus, non cognoscitur in bonis amicus, neque latet in malis inimicus. Ratio prioris est, quia in rebus bonis et prosperis multi se simulant amicos, qui vere amici non sunt, ut tuam prosperitatem participant, suamque efficiant, juxta illud Ovidii lib. I *Tristium*:

Cum fueris felix, multos numerabis amicos:  
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Unde illud: « Multos amicos habet felicitas. » Posterioris ratio est, quod in malis, id est adversis, inimicus prodat se per gaudium, irrisionem, dicitia, etc. Sic prodidit suam malignitatem contra David Semei maledicens illi cum fugeret Absalom; et Achitophel, dans pessimum consilium Absalomi contra David, II *Regum* XVI et XVII; et Ptolemæus filius Abobi, qui Simonem fratrem Judæ Machabæi principem Judæorum convivio excepit, in eoque ipsum cum filiis occidit, I *Machab.* cap. ult. 16.

Transit a fuga peccatoris, id est, superbi et dolosi, congrue ad fugam et cautelam inimici, quia superbi et dolosi solent honorum divitum et honoratorum esse inimici; invident enim aliis bona, opes et honores, illisque eos exuere, seque induere ambiunt. Ad hanc cautelam præmittit duas gnomas, e quibus, quasi ex lydico lapide, quilibet cognoscat quis sit verus amicus, quis fictus et inimicus, dicitque non in prosperis, sed in adversis se prodere tam amicitiam veram quam falsam, æque ac inimicitiam. Unde explicans subdit:

9. IN BONIS VIRI, INIMICI ILLIUS IN TRISTITIA; ET IN MALITIA (id est, adversitate et afflictione; Græce ἐν κακοῖς, id est, in malis, id est, adversis et tristibus) ILLIUS, AMICUS AGNITUS EST. — q. d. In prosperis tristantur inimici, saltem occulte, si palam tristitiam ostendere non audeant; in adversis vero agnoscitur quis sit sincerus amicus. In adversis enim amicus verus amico afflicto adest, omni ope et opera, ut eum soletur, erigat et protegat. Græca posterius hemistichium aliter efferrunt, sic enim habent: « In bonis viri, inimici illius in tristitia; et in malis illius, etiam amicus separabitur, vel disjungetur; Tigurina, *Rebus hominis secundis dolent inimici ejus, et rebus ejusdem adversis abscedit etiam amicus.* Verum Stephanus Pontifex, *epist.* 1, plane legit ut Noster. Estque pulchra antithesis, q. d. « In bonis viri, inimici illius agnoscuntur, scilicet invidendo; et in tristitia et miseria ejus, amicus agnoscitur compatiendo. In prosperitate viri crescit inimicitia inimici; in miseria ejus crescit amor amici. Ergo vere Christus agnitus est amicus, quia in tristitia et afflictione, imo et in malitia nostra, nobis succurrit. » Ita Palacius. Sic quoque legit Rabanus, licet paulo aliter dispungat; sic enim habet: « Agnitus est in bonis viri, inimicus illius; in tristitia illius amicus, » q. d. In prosperis agnoscitur inimicus, utpote dolens et invidens; in adversis vero agnoscitur amicus, utpote condolens et compatiens. « Nec prosperitas, inquit, amicum indicat, nec adversitas inimicum celat; quia et ille sæpe prosperitatis nostræ reverentia tegitur, et iste ex confidentia adversitatis aperitur. Vir igitur justus in flagellis positus dicat: Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit, quia nimirum qui ex adversitate proximum despicit, aperte convincitur quia hunc in prosperis non amavit. » Rursum Syrus plane vertit ut Noster; sic enim habet, *in bonis enim viri, inimici ejus in tristitia sunt; et in malis ejus, discernitur amicus.* Unde liquet eos pro διαχωρισθῆναι, id est, separabitur, uti jam legitur, legisse ἐκείνην ἀγνοῦνται, id est, judicabitur; vel ἐκείνην ἀγνοῦνται, id est, agnosceatur, uti legitur vers. præced. Ejus enim rationem et confirmationem dat auctor hoc vers. Hoc est quod ait Salomon *Proverb.* XVII, 17:

« Omni tempore diligit qui amicus est, et frater in angustiis comprimatur. »

Siraicidi et Salomoni consonant gnoma Philosophorum. Demetrii Phalerei: « Veri amici in rebus lætis adsunt vocati, in adversis invocati (non vocati) et ultro. » Ita Laertius lib. V, cap. v. Plauti: « Amicus est qui in re dubia juvat. » Ennii: « Amicus certus in re incerta cernitur. » Ita refert Cicero, lib. *De Amicitia*, Chilonis: « Promptius ad amicorum adversam fortunam, quam ad res secundas accurrendum est; » nimirum rebus prosperis advolant quilibet, etiam minus amici: qui adsunt reflante fortuna, hi vere amici sunt. Ita Laertius lib. I, cap. IV. Namertes rogatus « qua ratione sincerum amicum probaret, » respondit: « Per adversam fortunam. » Ita Plutarchus in *Lacon*. Tarquinius Superbus jam exsul factus dixit se tum demum cognovisse quos habuisset amicos fidos, quos infidos, cum neutris gratiam referre posset: « Amicos ergo secundæ res parant, adversæ probant, » ait P. Syrus.

10. NON CREDAS INIMICO TUO IN ÆTERNUM: SICUT ENIM ÆRAMENTUM, ÆRUGINAT NEQUITIA ILLIUS. — Monet, inimico, etiamsi reconciliatus videatur, et amicitiam simulet, non facile esse credendum nec fidendum, quia sicut ærumentum, id est, vas ex ære factum (æramenta enim sunt opera facta ex ære, sicut ferramenta ex ferro), Græce ζυκός, id est, æs, vel vas æreum, licet politum sit et splendeat, facile tamen rursus æruginem, id est, virides sordes, contrahit, si videlicet aliquo humore imbuatur: ita inimicus, licet videatur reconciliatus, et splendenti amicitia fulgidus, facile tamen ad odia et nequitias suas redit; residet enim in animo ejus radix malitiæ, viror et virus malevolentia (quia manet alta mente repostum maleficium, quod sibi a te putat illatum), quæ naturaliter in maledicentiam et maleficientiam solitam data occasione solet erumpere, et instar absinthii progerminare. Unde Tigurina vertit, *nam similis est æri æruginem obsito malitia illius; quod Vatabli explicat, q. d. nam ejus malitia simulatione tecta latet*; Syrus, *ne credas inimico tuo in æternum, quia sicut vas æneum est quod poluit socium suum, id est, alteri vasi vel rei æruginem suam affricat*; Arabicus, *ne te decipi sinas confidendo in inimico tuo, quoniam similis est æri, quod alia æruginat.* Hisce succinit Seneca in *Prov.*: « Iratum breviter vites, inimicum diu. » Recte inimicitia comparatur ærugini: primo, quia utraque est vitium et corruptio rei cui inhæret; secundo, utraque est mordax et corrosiva; tertio, sicut ærugo est mali odoris, sic inimicitia malæ est famæ; quarto, utraque est amara et viridis; quinto, utraque est tenax et sæpe perpetua; sexto, utraque est acida: ærugo enim acerrima fit, cum æs, vel æris scobs aut ramenta, aceto macerantur, eaque utuntur medici ad erodendos callos fistularum, et delacrymationes oculorum, uti docet Plinius lib. XXXIV, cap. XI; septimo, sicut

ærugo ferrum aut æs erodit, sic livor hominem invidum et inimicum; et sicut ærugo offuscat splendorem æris, sic livor alienæ famæ splendorem obscurat. Quocirca ærugo metaphorice usurpatur pro linguæ mordacitate, malevolentia, maledicentia, livore et invidia, ut apud Martialem lib. II:

Uteris ore aliter, nimiaque ærugine saptus.  
Allatras nomen, quod tibi cumque datum est.

Horatius I *Serm.* satyr. 4:

Hic nigrae succus loliginis, hæc est  
Ærugo mera.

Loligo piscis est nigrum humorem emittens, ut sepia, quem atramentum vocant. Succum ergo loliginis vocat obscurationem et maculam, sive denigrationem, alienæ famæ; eandem vocat æruginem. Rursum Martialis, lib. X, epigr. 33 ad *Numatium Gallum*:

Ut tu, si viridi tinctos ærugine versus  
Forte malus livor dixerit esse meos:

ærugine, id est, livore et maledictis. Sic ærugine navit malitia Absalomi, cum post reconciliationem patrem regno et vita spoliare conatus est, II *Reg.* xv; et Tryphonis, qui Jonatham post amicitiam redintegratam occidit, I *Machab.* cap. XIII. A Salomone idem didicit Seneca: « Nunquam, inquit, fidelem credas eum tibi, quem ex inimico amicum habueris. » Et Comicus: « Inimicis non credens, nunquam utique damno afficeris. » Et Plutarchus, *De Educ. liber.*, hoc Pythagoræ symbolum affert: « Ne gustes quibus nigra est cauda; » inimici enim frontem candidam ostentant, sed caudam atram finemque funestum. Hi ergo similes sunt hederæ, quæ arbori sese associans et circumvolvens, omnem ejus humorem exugit, eamque suffocat et strangulat, ait Plinius lib. XVI, cap. xxxiv, itaque illa exturbata ejus locum occupat. Rursum, ut ait Comicus: « Hi habent os in melle, corin felle. » Insuper hi hamo escam præterdunt, ut aculeum tibi infigant, teque capiant, sicut piscatores aduncant pisces. Denique hos representat gemma dicta chrysolampis, quasi aurea lux, de qua Plinius lib. XXXVII, cap. x: Chrysolampis, inquit, in Æthiopia nascitur, pallidi coloris die, et noctu ignei. » Sic enim hi palam pallent et timent; at noctu ignes sui livoris ejaculantur, cum scilicet in tenebris occulti latent.

Hanc parabolam apologo similem, pulchro vulpis et aspidis apologo illustrat Cyrillus lib. I *Apolog. moralium*, cap. XXXIII, cujus titulus: *Si quemquam offenderis, pavesce semper hujusmodi*: « Vulpes, inquit, valde esuriens hinc inde pastum quærens, minus provide calcavit aspidem occultis anfractibus gradientem. Mox ille maximo furore percitus, se calcantem momoravit.



At illa impatiens morsum refudit quantocius in mordentem : atque ita communis furoris venositate in communem vindictam diffusa, divisi sunt statim, quærentes post vulnera medicinam. Deinde cum post aliquod tempus sibi invicem iterum occurrissent, mox aspis antiquæ injuriæ recordata est, et nova iracundia cœpit ad novam aspirare vindictam. Palliata igitur cordis nequitia, læto vultu procedens, proditiōne plena salute præmissa, callide callidam allocuta est, dicens : In veritate nunc te quærebam, charissima, ut oris morsu perditam, oris osculo redderem pacem gratam. Quid enim vitali pace mortalibus charius terrenis jucundius, cunctis amabilius gratiusve? Nimirum pacis fœdere cuncta manent in tranquillitate, viventia vigent, ejusque lege atque ordine civilia florent. Commune pacis est bonum. Ad hæc illa callidior, mox ejus verbis provide sic respondit : Certe divinissimum bonum pax est, si vera est; sed si sophistica sit, lux est obnubilans, vita mortifera, et dulcedo venenosa. »

ationem a priori assignat, et acu rem tangit : Nullum enim pejus malum est, quam inimici-pace comparata. Igitur tecum sit, charissima, pax, quoniam ubi est offensæ memoria, ibi a est; ira autem cupit vindictam, vindicta subornat fraudulentiam, quæ postmodum inferat pœnam. Cor tuum non video, sed ad rationem recurro, et ejus lumine sævum pectus tuum, licet abditum rimor. Vera namque pax nunquam offensæ reminiscitur, sed ficta ejus oblivionem non patitur : infirma vero pax oblitæ interdum injuriæ recordatur. Quare timendus semper et cavendus offensus est, quoniam tenax injuria, levis ira, expectata vindicta, tarda clementia. Sic fratres Joseph, quem offenderant adolescentes, timebant etiam senes. Quo dicto evitato hoste discessit. »

Porro, noster Salazar in *Proverb.* cap. xxvi, vers. 25, generalem hanc de inimicitia sententiam recte appropriat invidentiæ et livori, ut sensus sit : « Adversario tuo nullo tempore confidas, quia sicut ferrum rubigine, et æs ærugine, sic animus illius ob tuam felicitatem invidia et favore carpitur et exeditur. Et sane invidentiæ et rubiginis similitudo perquam vulgata est. S. Basiliius, homil. *De Invidia* : Quemadmodum, inquit, venenum ferrum, sic invidia eos qui eam possident, consumit ac vastat. Appellat autem rubiginem ferri venenum. Et Stobæus in sermone *De Invidia*, ex sententia Ariandri : Sicut ærugo ferrum, sic invidia invidi animam conserit. Antisthenes etiam apud Laertium, lib. VI, cap. 1 : Sicut ferrum absumitur rubigine, ita invidi suo ipsorum in vitio contabescunt. Ferrum enim, etiamsi nemo lædat, ex se gignit unde corrumpatur. Plutarchus etiam apud Antonium Monachum in *Melissa* : « Ferrum, inquit, ærugine consumitur, sic invidi nocte ingenio. »

Denique nonnulli per « ærumentum, » sive vas æreum, accipiunt speculum, quod olim fiebat ex

ære terso et polito, uti ex Plinio et aliis ostendi *Exodi xxxviii*. 8. Speculum enim est imago amicitiae; sicut enim imago in speculo apparens per omnia sese accommodat objecto, ut v. g. si intuens speculum rideat, moveat caput, torqueat oculos, frendeat; illico imago speculi pariter ridere, movere caput, torquere oculos, frendere, etc., videatur : sic pariter amicus amico per omnia sese accommodat, ut quod ille vult vel non vult, hic pariter velit vel nolit; quo ille propendet, hic pariter propendat. Amicus enim se fingit ad nutum et voluntatem amici. « Eadem velle, eadem nolle, ea demum firma amicitia est, » ait S. Hieronymus epist. 8 ad *Demetriad*. At si speculum fiat ex ære, repræsentat amicitiam vitiatam, et hypocrisis, dolo, inimicitia velatam, pictam et fictam. Sicut enim speculum æneum ærugini obnoxium est, et quantumvis ungatur, semper rursus æruginem evomit, imo, teste Plinio lib. XXXIV, cap. ix : « Æra extensa celerius rubiginem trahunt, quam neglecta, nisi oleo perungantur : sic amicitia ficta, cum scilicet quis exterius se gerit ut amicum, interius vero retinet fibras virulentæ invidiæ et inimicitiae, semper virus hoc evomit, ut, cum potest amico nocere, illi nocere non desistat.

*Secundo*, sicut specula curva et concava magnas reddunt rerum imagines, quia curvæ superficiæ centrum intus est, ait Scaliger *De Subtilit.*, exercit. 83, cap. iv., eadem excipientia radios solares, ignem concipiunt, ac res vicinas inflammant, eo quod radii solares in centro concavi speculi in unum collecti, vi caloris igniantur, anianturque in flammam : sic pariter amici tegentes inimicitiam, curvant sese ut amicum honorent; sed sub curvitate hac dolos abscondunt, ac magnas spes quasi species, puta magna promissa, ostentant; sed interim colligunt ignem ardoremque nocendi, quo amicum exurant et perdant.

*Tertio*, Plinius lib. II, cap. xxxvii : « Hominum dentibus, inquit, quoddam inest virus. Namque et speculi nitorem ex adverso nudati hebetant, et columbarum fetus implumes necant. » Sic pariter dens amici ficti, revera inimici, venenatus est, imo caninus. Ut canis enim secreto mordebit te, et canino dente famam tuam bonumque rodet.

*Quarto*, speculum hebetatur menstruo munerum. Illo enim, ait Plinius lib. VII, cap. xv, « accescunt musta, sterilescent tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, etc., speculorum fulgor aspectu ipso hebetatur. » Idem facit inimicitiae virus, quod instar menstrui amicitiam hebetat, omnesque charitatis et virtutum vitalium actiones consumit et exurit. Denique Plinius lib. XXVIII, cap. vii : « Bythus Dyrrachinus, inquit, hebetata aspectu specula recipere nitorem tradit, iisdem aversa rursus conturbatibus; omnemque vim talem resolvit, si nullum piscem secum habeant. » Fides sit penes auctorem. Sic pariter si

adversum amicum adulantem intueris, decipiet te; sin aversum et obtrectantem, videbis ejus livorem, ab eoque cavebis, tibi que consules.

Intellige jam dicta, nisi constet inimicum omnem omnino inimicitiam ex animo deposuisse, eamque in veram amicitiam convertisse, ac plane reconciliatum tecum in plenam gratiam rediisse, quod apud gentes candidas bonæque indolis, quales sunt Germani, Flandri, Hollandi, etc., facile sæpeque fit. Accedit, quod Siracides hæc scripserit Judæis duræ cervicis, et Gentibus fide et gratia Dei destitutis, quæ naturæ corruptæ ductu inimicitias fovebant per omnem vitam. Jam autem post Christum, ejus exemplum et gratia dominatur naturæ; e Christo enim audimus et discimus *Matth.* v, 44 : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persecutibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. » Ita Christi vocatio ex Saulo fecit Paulum, id est, ex inimico amicum, ex persecutore prædicatorem, qui proinde hac Christi doctrina et grati imbutus, Judæos hostes suos juratos adeo dilexit, ut optaret pro eis fieri anathema. Judæi ergo fidere poterant et debebant se suamque salutem Paulo, quem tamen ipsi suum et judaismi hostem inter necinum aestimabant. Cui enim f. it et credit Christus Deus noster suam fidem, sanguinem, Ecclesiam, Sacramenta, cur non fidat homo? Hinc et Romanis ita scribit, de inimicis præse ibit cap. xii, 20 : « Si esurieris inimicus tuus, eiba illum; si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. » Charitas Christi ergo adeo potens est, ut omnes inimicitiae fibras ex animo evellat, et inimicum amico plane reconciliet, imo inimicum inimicitiam deponere, et amicum esse cogat. Charitas itaque est philtrum excantans inimicitiam, et incantans amicitiam. Vis inimicum vincere, et facere amicum; vis inimicitiam occidere, et amicitiam vivificare? benefac inimico, nec cessa donec ejus hostilitatem incensa tua charitate incenderis et consumpseris. Præclare S. Gregorius Nazianzenus in *Tetrastichis* :

Hoste ab ipsomet commodum quoddam lego;  
Hinc namque vivo cautius, ne me queat  
Is criminari.  
Sit hoc et illis munus abs te, quod nihil  
Luant acerbi. Sic eos reddes bonos;  
Est namque leni munus amplum lenitas.

Denique sicut æs, licet natura sua semper æruginet, tamen si oleo perungatur, vi olei fit ut non æruginet, teste Plinio lib. XXXIV, cap. ix : sic pariter licet ex vitio naturæ corrupta fiat, ut inimicitia semper amicos exhalet rancoris spiritus et motus instar æruginis, tamen per gratiam Dei, quæ instar olei mentem serenat, impinguat, exhilarat, idipsum impediri potest; præsertim

cum gratia Dei subinde omnem inimicitiam funditus ex animo tollat. Quare tunc inimicitia, utpote jam stirpitus eradicata, æruginare, et virus suæ aversionis suppullulare et progerminare nequit. Igitur cum id constat tibi, inimicum scilicet omnem ex animo inimicitiam per gratiam Dei exstirpasse, planeque tam tibi quam Deo conciliatum, merito ei fidere potes et debes. Ita David confusus fuit Amasæ duci exercitus Absalomi hostis sui, ac Abner duci exercitus Isboseth filii Saulis, hostis pariter sui, dum utrumque mihi suæ præfecit, in ejusque manus et se et tota Israelis castra collocavit, II *Reg.* xvii, 25, collato cum cap. xix, 13, et II *Reg.* iii, 13.

Quid amarius, quid salsius mari? et tamen hoc, influentibus in se fluminibus dulcibus, dulcescit ad plura stadia : quidni dulcescat in homine amarities inimicitiae, influentibus in eum amoris beneficiis, et gratiæ divini dulcoribus? Quid homini inimicus serpente aspide? et tamen hic amore et alimonia vincitur, fitque cicur et amicus. Narrat Albertus Magnus lib. XXV in *aspide* : In Ægypto, inquit, alebatur aspis, eratque cicur. Cum autem caluli ejus, heri et altoris sui filium momordissent, et instillato veneno necassent; irata mater, aspis scilicet, catulos beneficii immemores, vel potius per teneram ætatem inscios et ignaros, omnes ad unum occidit.

Tropologice, non credas inimico animæ tuæ in æternum. Hic inimicus est dæmon, mundus caro, sive concupiscentia : ne unquam credas diabolo, quia mendax est; nec mundo, quia fallax; nec carni, quia salax est : si eis credis, hosti tuo credis : « Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, » *Galat* v, 17. Quocirca caro instar æris semper æruginat nequitiam, puta motus iræ, rixæ, cædis, gulæ, libidinis, etc., qui occidunt animam. Hæc est causa scelerum, quod scilicet concupiscentiam utpote nobis innatam, et ex anima nostra prodeuntem, censeamus esse amicam, cum sit hostis capitalis : hinc passim homines eam, ut amicam sequuntur, ejusque motus et impulsus per omnia adimplent. Remedium est, ut internoscas motus rationis, et motus concupiscentiæ, licet in speciem blandos, certo scias tuos summos esse inimicos. Cum ergo exurgit in te motus iræ, gulæ, etc., consule rationem; si illi adversantem videris, illico inimicum esse proclama, contra eam te obarma, eique totis viribus resiste. Hoc est quod ait S. Petrus *epist.* I, cap. ii, 11 : « Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideris, quæ militant adversus animam. » Quare castis assidue studendum est carnis et corporis mortificationi; sicut enim æs politum facile rursus æruginat, sic corpus licet purgatum facile ad impura desideria redit. Quare licet inedia et assiduis vigiliis robur amisit, semper suspectum habe, et custodi te ab illo; nam si ad dexteram tuam ut amicus sederit, et te



sibi fidentem viderit, dum minime putabis, incautum te ab illa castitatis et puritatis sublimitate dejicet.

Rursum Rabanus hæc omnia adaptat hæresi et hæreticis. « Illi enim, inquit, veri sunt inimici, quorum doctrina plena est rubigine erroris et nequitiae. Sermo enim eorum ut cancer serpit, et ideo non debet eis credi in æternum, etiamsi se humiliantes fingant esse fideles et Catholicos; quibus in nulla parte debemus consentire, nec potestatem in nobis tribuere, quam significat dextera, ne forte nos a loco nostro, id est a statu rectæ fidei, amoveant. Inquirunt enim cathedram nostram, hoc est, doctrinam sua malitia student subvertere. »

Porro Siracidi conceit Ben-Sira, *Alphabeta* 1, *tera Mem*: « Qui honorat, inquit, contemnent se, similis est asino, » *q. d.* Qui honorat eos quibus despectui et ludibrio est, similiter facit ut asinus, qui inservit ei a quo ceditur. Et magis illud Hebræorum: « Qui honorat hostem suum, tandem moritur manu ipsius. » Exemplum dat Scholiastes Achab regem Israel, qui honorans Benadad regem Syriæ, ab eo postea interfectus fuit, *III Reg.* cap. xx, 42, et cap. xxii, 34; et Saul, qui pepereit Agag regi Amalec, a quo postea, inquit, descendit Aman ille impius, qui Hebræum nomen delere studuit sub Assuero, sed prohibitus est ab uxore ejus Esther. Et illud Comici: « Qui amat cui odio ipse est, bis facere stulte dico: laborem inanem ipse capit, et illi molestiam affert. » Cleomenes rogatus, quid oporteret bonum regem facere, respondit: « Amicis benefacere, inimicis vero male. » Verum corrigens illud Aristo: « At quanto, inquit, præstantius est amicis benefacere, et ex inimicis reddere amicos? » Ita Plutarchus in *Lacon*. Utique hæc non Judaica, non Pagana, sed Christiana est vox. Similis Cleomenis fuit sententia Pompeii, quam sapientius, ut Aristo, correxit Julius Cæsar. Sic et Socrates Cræsum interrogavit, « Quid esset maximum et pretiosissimum ex regno consecutus? » Cui Cræsus: « Ut hostes ulcisceretur, et amicos beneficio afficeret. » Verum corrigens hoc Socrates: « Multo melius, inquit, fecisses, si et illos tibi amicos ascivisses. » Ita refert Maximus *serm.* 6. Avorum memoria cum Laurentius Hungariæ Palatinus diceret, imprudenter agere Sigismundum Imperatorem, qui victis hostibus non solum vitam et opes relinqueret, sed etiam inter amicos reciperet extolleretque: « Tibi, inquit Sigismundus, videtur utile inimicum occidere, neque enim mortuus bellum excitat. At ego inimicum occido dum parco, et amicum facio dum extollo. » Ita Panormitanus lib. III *De Gestis Alfonsi*, ubi et addit idem fecisse ipsummet Alfonsum.

11. ET SI HUMILIATUS VADAT CURVUS (quasi tibi supplex et venerandus; perperam pro *curvus* aliqui legunt *cervus*), ADJICE ANIMUM TUUM, ET CUSTODI TE AB ILLO. — Pro *adjice* perperam Complu-

tenses legunt, *abjice*; Græce enim est *ἐπιτίθει*, id est, appone, *adjice* animum, hoc est, *adverte*, ut vertit Tigurina, quod Itali dicunt, *sta in cervello*; Syrus, *etsi obedisti tibi, et ambulat coram te curvus, da cor tuum ad timendum ab eo*. Causam subdunt Græca dum hunc versum addunt, quem non habent Latina, *et eris ei tanquam qui abstergeris speculum, et cognoces quod non in finem deposuit æruginem, q. d.* Diligenter advertas videbis temporaneam et fictam esse ejus humilitatem, quodque exterius tantum nequitiam et malevolentiam deposuit, interius autem adhuc ejus reliquias et radices servet: perinde ac cum abstergis speculum, exteriorem tantum ejus superficiem abstergis, interiorem autem non abstergis, ex qua suo tempore solitam effundet æruginem; olim enim fiebant specula ex ære, quæ proinde æruginem contrahebant, ut dixi *Exodi* xxxviii, 8. Syrus alia phrasi, sed eodem scopo et sensu vertit, *esto illi sicut revelans secretum, et cum poterit ad demolitionem tuam, cognosces finem odii ejus*, quia demolietur te.

Alludit ad *Proverb.* xxvi, 25: « Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei: quoniam septem nequitiae sunt in corde illius. » Simile est istud Senecæ in *Proverb*: « Inimicum quamvis humilem docti est meture. »

12. NON STATUAS ILLUM PENES TE, NEC SEDEAT AD DEXTERAM TUAM, NE CONVERSUS STET IN LOCO TUO, NE FORTE CONVERSUS IN LOCUM TUUM, INQUIRAT CATHEDRAM TUAM. — Ita legit Jansenius et alii; sed cum Romanis dele *ne* *conversus stet in loco tuo*. Sin illud legas, est metathesis. Prior enim pars posterioris versus combinanda est cum priori parte prioris versus, posterior cum posteriore, quod sæpe fit in rhythmis. Græca enim et Syrus sic hæc combinant, *ne statuas ipsum juxta te, ne quando te subvertat, et in locum tuum subeat: ne colloques ipsum ad dexteram tuam, ne quando quaerat occupare sedem tuam*. Statuere aliquem penes se, est illi favere, illum protegere; collocare ad dexteram, est eum sui honoris participem facere. Sensus ergo Nostri est, *q. d.* Ne statuas illum penes te, ne conversus insurgat contra te, teque dejiciens, locum tuum occupet, in eoque consistat. Nec sedeat ad dexteram tuam, ne conversus in te cathedra tua te deturbet, ipseque in illam insiliat, eamque solus occupet, *q. d.* Noli inimicum, etsi se simulet amicum, facere consortem tui honoris et gradus, quia te excluso illam invadet, solusque obtinebit. Unde subdit:

ET IN NOVISSIMO AGNOSCAS VERBA MEA, ET IN SERMONIBUS MEIS STIMULERIS. — Græce *κατανοήσεις*, id est, pungaris, compungaris; Tigurina, *discrucieris* Syrus vertit, *mireris*. « Stimuleris » ergo, id crucieris mœrore et pœnitentia sera, quod præcepta mea, licet præmonitus, non serv quodque tibi ipsi tua nimia facilitate et erate hanc calamitatem accersiveris. Græci ces nonnulli hoc loco hunc insererunt vers

« Peccatum ne conduplices; nam in uno non eris innocens. » Verum eum delent Græci Complutenses, Latini et Syrus. De dexterae symbolis plura dixi *Coloss.* iii, 1, et plura dicam *Proverb.* iii, 13.

13. QUIS MISEREBITUR (male quidam legunt, *medebitur*; Græce enim est *ἐπιτίθει*, id est, ut Syrus, *miserebitur*) INCANTATORI A SERPENTE PERCUSO, ET OMNIBUS QUI APPROPYANT BESTIIS (Græce *ἐπιτίθει*, id est *feris*)? ET SIC QUI COMITATUR CUM VIRO INIQUO, ET OBVOLUTUS EST IN PECCATIS EJUS: — male aliqui legunt *suus*; repete *quis miserebitur, q. d.* Nemo, quia ipse sibi hoc malum per malorum consortium accersivit. Pro *obvolutus*, Græce est *συμπερικλυμένον*, id est, qui admiscetur, commiscetur peccatis *αὐτοῦ*, id est *ejus*, puta iniqui, hoc est, qui ejus maleficiis et cædibus miscetur et conspergitur, ut inter alios ipse quoque ab eo cædatur. Sic Dioscorides lib. I, cap. xxv, vocat *συμπερικλυμένον αἵματι γόμμη*, id est, gummi sanguine subactum, sanguine conspersum. Sensus est, *q. d.* Sicut commiseratione dignus non est incantator familiariter versans eum serpente, si ab eo mordeatur, quia scit, et seire ac cavere debet serpentis malignitatem et virulentiam, et tamen præsciens veneni temere ad eum accedit, quasi eum incantaturus. Rursum sicut commiseratione dignus non est, qui approprians ferae, v. g. urso vel leoni, ab eo læditur vel laniatur, quia præsciebat hanc ursi feritatem, unde ab eo cavere, nec ad eum propius accedere debebat: sic pariter commiseratione dignus non est, qui comes est iniqui, puta inimici, qui se simulat amicum, si peccatis ejus obvolvatur, id est, si per peccata ejus et maleficia per nequitiam et dolos multis malis et ærumnis involvatur et implicetur, imo obvolvatur et obruatur. Unde Syrus vertit, *quis miserebitur incantatori quem mordet serpens, aut cuiusque qui appropriat bestiis? ita omnis qui communicat viro iniquo, non præteribit donec accendatur ex eo ignis, odii et maleficientiæ, calumniæ vel cædis, quo communicans pariter conflabit et peribit*.

Porro qui versatur cum iniquo, non tantum pœna, sed et culpa ejus sæpe involvitur. Nam ut dicitur 28, *Quæst.* I, can. 12: « Sæpe malorum consortia etiam honos corrumpunt, quanto magis eos qui ad vitia proni sunt? Nulla igitur ultra communicatio sit Hebræis ad fidem Christianam translatis, cum iis qui adhuc in veteri ritu consistunt, ne forte eorum participatione subvertantur. » Quare sicut incantator morsus a serpente vel fera, cum qua familiariter agit, non est commiseratione dignus: sic nec qui in societatem malorum seipsum insinuat, et cum illis in peccatorum feditate communicat. Hæc justa est pœna audacis et temerarii, qui in periculum se conjicit; ergo si pereat, sibi imputet. Quod enim de Deo dixit Psaltes, idem homini adaptes: « Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris, et cum perverso perverseris. » Quoniam, ut ait S. Hierony-

mus, *epist.* 7 *ad Latam*: « Proclivis est malorum æmulatio, et quorum virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia. » Unde Hugo *De Institut. novit.* cap. v: « Qui, inquit, cum pejoribus conversari appetit, satis se esse vita depravatum ostendit. » Quocirca S. Basilius, *Admon. ad filium spirituales*: « Perfectorum virorum, inquit, consortio frui, etc. Verba enim vitæ sunt verba illorum, et incolunitas animæ iis qui ea libenter audiunt. Sicut enim sol oriens effugat caliginem, ita Sanctorum doctrina a sensibus tuis expellit tenebras. »

Apposite livorem et inimicitiam comparat serpenti et feris, quæ non nisi feritatem, fraudes, virulentiam spirant. Tritum est illud: « Homo homini Deus, homo homini fera. »

Mystice Palacius: Diabolus, inquit, est hostis noster cum amici Dei sumus; at nobis reconciliatur, dum peccamus. Si ergo te sub specie boni adoritur, tunc cave, adverte et advigila, ne forte te tuo loco, quem Deus tibi paravit in cælo, deturbet; diabolus enim est serpens et draco antiquus, ac leo sævissimus, qui non nisi hominis perniciem sitit. Quare qui ad illum accedit, commiseratione non est dignus, quia sciens et prudens se exitio exponit.

Denique perperam Gratianus *De Penit.*, dist. 1, canone 58 *Importuna*, ex hoc loco probat quædam peccata esse irremissibilia, aut ex magnitudine peccati, aut ex gradu officii; quia, inquit, legitur: « Quis medebitur incantatori vulnerato a serpente? » perperam enim legit *medebitur*, pro *miserebitur*. Tamen *quis miserebitur* tantum significat eum commiseratione non esse dignum; Deus autem sua infinita clementia etiam indignorum miseretur.

14. UNA HORA PERMANEBIT TECUM: SI AUTEM DECLINAVERIS, NON SUPPORTABIT, — id est, non tolerabit te, tuam sortem, declinationem et adversitatem. Græce *μη κερθήσει*, id est *non perseverabit, q. d.* Iniquus, puta falsus amicus, hora prosperitatis permanebit tecum; si autem a prosperitate declinaveris, et decideris in adversitatem, v. g. ex abundantia in inopiam, ex splendore in obscuritatem, ex gloria in ignominiam: in tua amicitia non perseverabit, sed te derelinquet instar hirundinum, quæ vere advolant, hieme avolant. Ver enim symbolum est prosperæ fortunæ, hiems adversæ. Unde Seneca: « Falsus, ait, amicus cum fortuna venit, cum fortuna recedit. » Græcus Complutensium habet, *per horam permanebit tecum in statione justa; si autem declinaveris, non tolerabit*; Tigurina, *horæ spatio justa in statione permanebit apud te; nec si inclinent res tuæ, perdurabit*. Forte alludit ad stationes et excubias militares, *q. d.* Sicut miles in statione castrensi excubat per horam, ea finita abit, et alteri cedit locum, quasi officio suo perfunctus: sic et falsus amicus per horam prosperitatis manebit tecum; ea finita quasi statione sua perfunctus, abibit, æque desoret. Vocat *stationem justam*, id est, juste et æqua-



liter in quatuor horas sive vigiliis distributam : quisque enim miles per horam primam vigilans, id quod sui juris et officii erat, præstabat; tantumdem faciebat alter vigilans per horam secundam, et alter per tertiam, et alius per quartam; sicque erat æqua et justa temporis ad vigilandum inter milites distributio, nec quis queri poterat se plus aliis gravari, quia æquale vigilandi cuique erat tempus assignatum, puta hora; sic statio justa falsi amici est hora et tempus prosperitatis, ac proinde ea finita abit, finitque amicitiam. Syrus vertit, *quandiu ingreditur tecum, non manifestat se suamque infidelitatem; et si cecideris, non supportabis eum*, puta ejus impatientiam, querimonias, voluntatem abeundi, postulata imperinentia, etc.

15. IN LABIIS SUIS INDULCAT INIMICUS : ET IN CORDE SUO INSIADIATUR, UT SUBVERTAT TE IN FOVEAM, — *g. d.* Labiis suis dulcia loquitur inimicus, at in corde amaras coquit insidias, quibus te in foveam, id est, in ruinam et exitium, præcipitet. Græce, *labiis suis blanditur hostis, et in corde suo consultabit de te in fossam evertendo*; Tigurina, *τὸ γλυκαίνει, id est indulcat*, per multa pene synonyma explicans, vertit, *labiis suaviloquentibus utetur inimicus, et assentabitur multa, bonisque verbis compellabit te, oculis quoque suis illacrymans, animo suo deliberat præcipitare te in foveam*; Syrus, *in labiis suis annuit inimicus, et in corde suo meditatatur consilia profunda*. Sic Homerus ait de Nestore, quod melle dulcior erat ejus oratio. Divinius Psaltes *Psalm. XVIII, 11*: « Eloquia » Dei pronuntiat « dulciora super mel et favum. » Et Salomon, *Prov. V, 3*: « Favus distillans, ait, labia meretricis, et nitidius oleo guttur eius; novissima autem illius amara quasi absinthium. » Idem, *cap. XVI, 24*: « Favus mellis, ait, composita verba. » Et sponsus ad sponsam *Cant. IV, 10*: « Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua. » Hinc tropologice infert Palacius: « Sic igitur caro nostra, inquit, inimicus noster est, etiamsi dulcia verba dicat, etiamsi lacrymas fundat, minime ei est adhibenda fides: insidiatur enim, ut nos in sepulcrum inferni conjiciat. Quid de tentationibus diaboli dici poterit? nam homicida est qui non satiatur sanguine nostro. »

16. IN OCVLIS SUIS LACRYMATOR INIMICUS; ET SI INVENERIT TEMPUS (Græce *καιρόν*, id est, occasionem et opportunitatem), NON SATIABITUR SANGUINE, — *g. d.* Non tantum fictis verbis, sed et oculis blanditur inimicus: iis enim illacrymat fingens se mire dolere de inimicitia præterita, aut de adversis tibi recurrentibus; sed data opportunitate nocendi in te hostiliter irruet, teque conficiet, adeo ut sanguine tuo quem sitiit, expleri et satiari nequeat, donec totum effuderit, teque interemerit; quia et post necem in tuum cadaver, sepulcrum, famam, sobolem, familiam sæviet, et velut leo grassabitur. Syrus, *etiam ab oculis suis descendere facit lacrymas; si invenerit sibi locum, non satiabitur*

sanguine. Magna vis fallendi est in fictis lacrymis: hæ enim solent veri doloris intern. esse indices et testes: unde plerique vim sibi afferre nequeunt, ut lacrymas fundant, nisi ingens dolor eas excutiat. Violentæ ergo valde sint oportet fallaces lacrymæ, præsertim in viris: nam feminae lacrymas in manu habent. Sic impius Ismael ibat incedens et plorans, itaque decepit octoginta viros, quos illico obtruncavit, *Jerem. XLI, 6*. Hic verum est vetus dictum: « Columbæ ceculus in serpentino corde. »

Mystice, hanc sententiam nonnulli adaptant peccatoribus, qui quandoque a Deo per conciones et inspirationes excitati compunguntur et lacrymantur; sed mox dum redeunt ad socios, ludos, convivia, etc., relabuntur ad pristina vitia, quasi dicas: Tu, o peccator, tu, o inimice Dei, lacrymatu es, et deflesti miserum animæ tuæ statum; sed dum post fletum et penitentiam peccati opportunitatem reperiebas, iterum ei immergebarris, factus canis reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro luti: idque solito ardentius et petulantius, adeo ut ejus deliciis et illecebris te satiari non posses.

17. ET SI INCURRERINT TIBI MALA, INVENIES EUM ILLIC PRIOREM, — non ad fictæ condolendum, ut Jansenius opinatur, sed ad vere nocendum tibi. Hæc enim cohærent cum eo quod præcessit, non satiabitur sanguine, *g. d.* Si in mala incideris, inimicus te præveniet, priorque illa suscitabit, vel suscitata augebit. Unde Græce est, *si tibi mala acciderint, reperies eum tibi priorem te*; Syrus, *si occurrerit tibi malum, invenies eum tibi, tanquam hominem adiutorem*.

18. IN OCVLIS SUIS LACRYMATOR INIMICUS (ita hæc verba posita vers. 16, hoc loco repetunt Romana, etsi Jansenius et alii ea hoc loco expungenda censeant), ET QUASI ADJUVANS SUFFODIET PLANTAS TUAS, — *g. d.* Finget se velle te adjuvare, ideoque lacrymabitur quasi condolens tibi, sed occulte te ruere faciet et prosternet; perinde ac qui sub plantis alicujus terram suffodit, facit ut ille corruat in fossam sibi suppositam. Noster legit, *ἡποσκάψει, id est suffodiet*; jam legunt, *ἡποσκάσει πτέρων σου, id est subsecabit plantas tuas*. Ita Romana. Alii, *occulte cadet*; alii, *perundet plantas tuas*, id est, supplantabit et dejiciet te; *σκέζει* enim idem est quod sacrificio, vel venam incido, item sisto, inhabeo, retraho, supprimo. Unde Tigurina vertit, *per speciem hominis opitulaturi calcem tuam inhibebit*; Vatablus, *enervabit*; Syrus, *queret subvertere calcaneos tuos*. Quid deinde sit facturus subdit, dicens: « Caput suum movebit, » etc. Tales sunt lacrymæ meretricum, quæ amicas se simulant, cum sint inimicissimæ. Unde Ovidius *De Remediis amoris*:

Ne puellarum lacrymis moveare caveto;  
Ut flerent, oculos erudiere suos.

Verum, ut vulgo dicitur: « Lacryma nil citius

arescit. » Nimirum sunt hæ lacrymæ crocodili. Ferunt enim crocodilum conspecto procul homine lacrymas emittere, atque eundem mox devorare. Alii tradunt crocodilum devorato reliquo corpore, caput lacrymis effusis macerare, ut iis findat cranium, ac medullam cerebrumque pariter devoret, quo summe delectatur. Tales fuere lacrymæ Bassiani Imperatoris apud Ælium Spartianum: « Lacrymabatur, inquit, quoties aut mentio fieret, aut imagines videret Getæ fratris quem occiderat. » Sic Ismael, simulans se plorare ob urbis et templi cladem, occidit Judæos eandem plorantes, *Jerem. XLI, 6*. Sic multi præ se ferentes speciem pietatis, lacrymarum et devotionis, decipiunt simplices, eosque in errores, superstitiones, libidines aliaque scelera inducunt. Tales sunt Husitæ illi in Bohemia, qui, quoties suis occurrunt, lacrymantur: nimirum sunt hæretici flentes, sicut nonnulli sunt ridentes: olim fuere flagellantes, nunc potius sunt voluptantes: omnes sunt insidiantes, quia hypocritæ.

19. CAPUT SUUM MOVEBIT, ET PLAUDET MANU, ET MULTA SUSURRANS COMMUTABIT VULTUM SUUM, — *g. d.* Præ gaudio quod te inimicum suum supplantarit, quod tantopere desiderabat, nictabit capite, manibus plaudet, et occulte multa immurmurans, quæ palam proloqui non audet, vultum a ficta prius tristitia in lætitiâ commutabit, ac pro tristi lætium hilaremque ostendet. Nam, ut ait Quintilianus *lib. XX, cap. III*: « Præcipuum in actione, sicut in corpore ipso, caput est. Nam et dejecto humilitas, et supino arrogantia; et in latus inclinato, languor; et præduro ac rigente, barbaries quædam mentis ostenditur. »

Pro susurrans, Græce est *διαψιθύσει*: quod aliqui vertunt, *garriet*; Tigurina, *motabit caput suum, plaudetque manibus, et sparget rumores multos, vultumque suum immutabit*; Syrus, *capite suo motus (nictus) facit, et annuit manu, et valde mussitat, et invertit faciem suam*.

Tropologice, hæc obvenient peccatori in hora mortis et judicii. Tunc enim diabolus, qui in hac vita blanditur, ei insultabit, eumque accusabit, et a Christo damnatum lætus, plaudens, subsannans et cachinnans abripiet in tartara. Memorabile æque ac horribile est, quod de plausu dæmonis, et planctu Udonis Præsulis Magdeburgensis scribunt, anno Domini 940, Naucerus *vol. III, gener. 43*; Fulgosius *lib. IX, cap. XII*; Canisius *lib. V Mariæ, cap. X*. Audiant eum et paveant peccato-

res. Cum enim Udo impure vivens, dæmonique obsequens cœlitus hac voce: « Udo, Udo, cessa a ludo, quia lusisti satis, Udo, » admonitus, nihilominus in impuritate persisteret, raptus est ad tribunal Christi, eoque jubente a S. Mauritio capite plexus. Mox animam ad tartara rapuerunt dæmones, eamque ludibundi et exultantes obtulerunt suo principi Lucifero. Lucifer, ei assurrexit, salutans eam verbis pacificis in dolo: « Bene, inquit, venisti, o princeps, et fautor, et dilatator regni nostri. Ecce parati sumus tibi et omnibus nostris fidelibus pro meritis vestris reddere talionem. Cumque Udo obmutesceret, Satan assistentibus ait: Fatigatus est ille, noster dilectus huc veniendo; et ideo placet ut consoletur: date ergo ei manducare. Illo autem renuente et caput averte, crudeles ministri ejus bufones et serpentes violenter illi ingesserunt, et liquorem sulphureum postmodum infuderunt. Adhuc illo non loquente, Satan præcepit dicens: Ad balneum deducatur, et post horam illico reducatur. Et ecce non procul erat puteus cooperculum habens. Quo ablato, flamma vorax usque ad cœlum erumpebat; quæ non solum arbores, et montes, et lapides, sed etiam aquam juxta manantem, velut stipulam consumebat. In quem infelicem illam Udonis animam præcipitaverunt, et postmodum extrahentes in modum ferri candentis totam igneam suo principi detulerunt. Qui subridens: Nonne, inquit, balneum suave habuisti, o princeps? Tunc, Udo damnatum se omnino videns, cœpit blasphemare et dicere: Maledictus Satan, tu, et omnis familia tua, et omne imperium tuum. Maledictus Deus qui me creavit, maledicta terra quæ me portavit, maledicti parentes qui me genuerunt, et maledicta omnis creatura quæ in cœlo et in terra. Tunc omnes dæmones una cum principe suo cœperunt manibus plaudere, et dicere: Vere dignus est iste manere nobiscum, quia peroptime scit officium nostrum. Mittatur ergo nunc ad principalem scholam damnatorum, ut videat, audiat, sentiat et discat amplius, indeque non exeat in sæcula sæculorum. Vix verba finierat, et ecce unanimiter in odiosam illam creaturam irruerunt, eamque tam impetuose in tartareum illud barathrum jactando immerserunt, ac si cœlum et terra, et omnes montes mundi hujus ad invicem quaterentur. » Qui hæc legis, Udonis exemplo sape, et blandas dæmonis suggestiones, quasi capitalis hostis insidias cave.